



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 58. Quædam propositiones ex Jansenii libro decerptæ, & Parisinæ
Facultatis judicio propositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

nandi, explicationem Historiæ Passio-
 nis, & varias epistolas ac sermones. Sæc. XVII.
 A. C. 1648.
 IV. Eduardus Herbert patria Anglus
 scripsit de veritate contradistincta a re-
 velatione, tractatum de causis erro-
 rum, de religione laici & gentilium,
 necnon vitam Henrici VIII. Regis. V.
 Severinus Slüterus typis vulgavit anim-
 adversiones in Hypolitum Lapidem,
 tractatus de Prædicantium ordine,
 vocatione, potestate, & abdicatione,
 & de populi suffragio in eorum electione.

§. LVIII.

*Quædam propositiones ex Jansenii
 libro decerptæ, & Parisinæ Fa-
 cultatis judicio propositæ.*

Interim contentio inter Jansenianæ do-
 ctrinæ hostes & Patronos indies no-
 vis æmulationum accessionibus propa-
 gata fuit; vix enim quoddam alterutrius
 partis opusculum lucem aspexerat, cum
 illico oppositæ factionis Scriptores illud,
 ejusque Auctorem, raro servatis de-
 bitæ moderationis limitibus, refellere
 niterentur: Attamen primæ acerrimi
 & in hanc usque diem nondum ex-
 tincti incendii flammæ circa famosas
 quinque propositiones non ex Vaticano,
 sed ex Sorbonica Domo erupisse viden-
 tur, cum anno hujus sæculi quadra-
Hist. Eccles. Tom. LXI. Pp gesi-

*An. C. 1649.
 Hist. de cinq.
 Prop. de
 Jans. l. I.
 pag. 4.
 Hist. brev.
 Jans. p. 41.*

Sæc. XVII. gesimo nono die prima Julii Nicolaus
 A. C. 1649. Cornetus olim Jesuita, tum Facultatis
 Theologicæ Syndicus in publicis Sorbonæ comitiis graviter quereretur, quod non raro propositiones, quas tamen ipse minus Orthodoxas censeret, suo calculo firmare urgeretur, & quamvis novas ejusmodi opiniones, quæ sensim apud Facultatis Theologicæ Doctores irrepere viderentur, ex Thesis sibi oblatis delevisset, Baccalaurei nihilominus eas vel prælo subjicere, vel deletas licet, palam propugnare præsumerent. Perceptis Syndici querelis Sacræ Facultatis Decanus censuit, ut cuilibet ex Sorbonæ Doctoribus propositiones ejusmodi periculosas denunciandi libertas daretur: Præ ceteris ergo idem Cornetus ad Sacram Facultatem Theologicam sex detulit propositiones, quarum quinque priores, fidei Orthodoxæ contrarias esse, ac juxta aliorum Doctorum judicium Jansenianæ doctrinæ synopsis complecti arbitratur: His Sant-Beuveus Sorbonæ Doctor adhuc septimam ex recentioribus Theologis excerptam adjici petiit. Decanus igitur suffragantibus Theologorum potissimis hac super re esse deliberandum statuit, huncque in finem ex Doctoribus novem, qui hæc propositiones mature discuterent, nominari

nari præcepit, incassum reclamante **Sæc. XVII.**
 Ludovico de sancto Amore Doctore ad- **A. C. 1649.**
 huc juvene. Erant autem propositiones sequentes:

I. „Aliqua Dei præcepta hominibus
 „iustis, volentibus & conantibus, se-
 „cundum præsentia, quas habent vi-
 „res, sunt impossibilia: deest quoque
 „illis gratia, qua possibilia fiant.

II. „Interiori gratiæ in statu naturæ
 „lapsæ nunquam resistitur.

III. Ad merendum & demerendum
 „in statu naturæ lapsæ non requiritur
 „in homine libertas a necessitate: sed
 „sufficit libertas a coactione.,

IV. „Semipelagiani admittebant
 „prævenientis gratiæ interioris necessi-
 „tatem ad singulos actus, etiam ad
 „initium fidei: & in hoc erant hære-
 „tici, quod vellent eam gratiam talem
 „esse, cui posset humana voluntas re-
 „sistere vel obtemperare.,

V. „Semipelagianum est dicere,
 „Christum pro omnibus omnino homi-
 „nibus mortuum esse, aut sanguinem
 „sudisse.,

VI. „Sensit olim Ecclesia privatam
 „Sacramentalem Pœnitentiam pro pec-
 „catis occultis non sufficere.,

VII. Attritio naturalis sufficit ad
 „Sacramentalem Pœnitentiam.,